Eoque fugiente mutationem et simul imperatore prohibente fecerunt eufronium. Quo etiam anno et paucis mensibus in episcopatu defuncto flacito illius ecclesie tradidere pontificatum. Isti vero omnes pestem arrii habuere celatam. Propterea namque multi pie iuventium et sacerdotum et reliquorum ecclesiastica relinquentes collegia apud semetipsos conveniebant. quos universi eustathianos appellabant. quia post egressum illius seorsum congregabantur. Porro mulier illa ter misera passionem crudelissimi languoris incurrens manifestavit insidias. et illam tragedie compositionem partim enudavit non duobus vel tribus sed multis valde sacerdotibus que concinnata videbantur insinuans. Ait enim pro pecuniis illam se facere presumpsisse calumniam. ius iurandum tamen non omnino fuisse falsum. quia ille infans de quo iuraverat filius erat cuiusdam eustathii nomine fabri ferrarii. Socrates.

xxv Seditio Antiochena

Tunc igitur antiochia gravis seditio in eustathii depositione surrexit. et postea de episcopatus electione tantus ignis accensus est ut pene civitas universa deperiret in duas partes populo dissidente. et aliis quidem eusebium palestine transferri contendentibus in antiochiam. aliis autem studentibus ut reverteretur eustathius. Erat enim in utraque parte et populus civitatis et militaris manus et tamquam adversus hostes ita cuncti commovebantur. ut pene usque ad gladios pervenirent nisi deus et timor principis cohiberet. Illam imperator suis epistolis seditionem compescuit. Eusebius autem palestine repedavit. Quem admiratus imperator scripsit ei propositum laudans eumque beatum vocans. et quia non unius civitatis sed totius orbis potius digne decerneretur episcopus. De cetero autem per annos octo dicitur antiochena ecclesie vacasse sede. tarde vero studio inimicorum nicene fidei ordinatur eufronius. His igitur in hoc volumine rite contextis. tempus est ut sequentis libri ordiamur initia. Explicit liber secundus.

## Incipiunt tituli libri tercii.

i De conversione gentis indorum atque persarum. et studet ab alexandro constantinopoleos
ii Quomodo iudei christianos accusaverunt apud persas. qui vel quanti vel quibus modis passi sunt apud persas.
iii Epistola constantini ad persarum regem pro christianis. et qui in communionem suscepisset extinctus.
iiii De alexandri pontificis alexandrini fine et de initio presulis athanasii. et arrianorum.
v Que contra athanasium gesta sunt et quomodo refugit ad principem.
vi Quomodo sit arrius ab exilio revocatus et qualem libellum dederit constantino et de fraudibus eius.
vii Epistola constantini evocantis episcopos ut athanasii causas ipse cognosceret.
viii Quia venientes episcopi arrio faventes anathasio detraxerunt. ita ut exilio mitteretur.
viiii Quomodo marcellus ancyranus depositus sit et de asterio sophista. x. Quomodo arrius defunctus
xi Quia presbiteri arriani cum orthodoxis conveniebant atque communicabant. et de lege constan

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_824/0074